Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 679

Quelle:
Copyright:

non esse, lectas tamen jam olim cum ex ejus, tum aliorum PP. Locis, quibus Psalmorum elogia continentur, atque a Descriptoribus magna libertate auctas, contractas, inter se confusas. His porro praemissis, et primis foliis errore Compactoris aliquantum turbatis ipsae *Augustini* Enarrationes a litera B, quae Psalmo I. initium dat, totam paene paginam implente et magnifice depicta ordiuntur, cui e latere interiori minio adscriptum: *Incipit expositio beati Augustini episcopi a psalmo primo usque ad quinquagesimum primum;* et paullo infra literis quadratis colore laetissime variantibus: *Eatus Vir Qui non Abiit In Consilio Impiorum.* Textum, quoad contuli, valde sincerum reperi. Miniata Subscriptio est: *Explicit de psalmo L°. pars prima.* Παρεργα sunt sequentia: 1) *Oratio*, quam post singulos Sermones ab *Augustino* dici solitam *Mauriani* T. IV. *col.* 1698. post Psalm. 150. exhibent: *Conuersi ad dominum deum* &c. 2) *Prefatio sancti Jeronimi presbiteri super psalterium.* Nota illa ad *Paulam* et *Eustochium: Psalterium Rome dudum* (positus) *emendaueram* &c. 3) Psalmus ille spurius: *Pusillus eram inter fratres* &c. Ante quem monetur: *Hic psalmus proprie scriptus est a dauid extra numerum, quando pugnauit aduersus goliath.* Et ad calcem: *Hic psalmus in hebreis codicibus non habetur. sed nec a* LXX. *interpretibus editus est. et idcirco repudiatur.* 4) Index Psalmorum XLI. addita opportunitate, quando dicendi, v. g. *Ad maiores operas uicesimus septimus. Vt oculum pudice agas primus. De uigiliis in grabato sextus* &c. 5) Brevis Catechesis: *Psalmus quid est? Psalmus est concentus organi atque modulatio* &c. Ita quaeritur de *Cantico, Diapsalmate, Doctrina Psalmorum,* et *Alleluia,* de quo ultimo sat inepte respondetur. Interim haec *Rubricis* illis III. praeviis conjuncta Adparatum aliquantum in Psalmos conficiunt.

Folium *ult.* haec duo habet: *Hii uersus digito dei scripti et reperti sunt a quodam sancto heremita in psalmo. Exurgat deus.* Vaticinium puta, quod incipit: *Excitabitur romanus contra romanum. et romanus romano substituetur rome. — Leo substituetur agnis, et agni leonis depredabuntur.* Cetera omnia Effata generalia sunt, minimeque in Heraldicis se versatum esse ostendit Propheta. Nota altera incipit: *Hee reliquie sunt recondite in Altari Sancte Marie Magdalene.* Videlicet in Coenobio *Pomerii Montis.* Longus est Divorum utriusque Sexus Catalogus, in quo mihi Virginum *Sambanae, Patriraliae,* et *Guonthildae* ignota Nomina.

CCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 190. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus et minio illustratus est *Pars I. D. Augustini Enarrationum in Psalmos.* Primum Προλεγομενα videamus. *De Laude Psalmorum.* Initium: R. 3259